

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Breviarium hominis christiani - Cod. Ettenheim-Münster 79**

**[S.l.], [18. Jahrh.]**

Caput XXI.

[urn:nbn:de:bsz:31-108661](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-108661)



Ah tuam o celsissime Deus, infinitatem iam sup-  
plex adoro, et absq; ulla mensura te diligere in-  
finite desidero.

Caput XXI.  
Aspirationes ad Deum ob  
eius liberalitatem

Quemadmodum avari ab omnibus odio habentur,  
ita e converso homines liberales ab omnibus di-  
liguntur; qui enim liberalitatem exercet, etiam su-  
per caput inimicorum suorum carbones ignis con-  
gerit, suis nempe muneribus eos facile placat,  
ipsoq; amicos suos facit et ad amorem suum al-  
licit. O Deus cordis mei, quam igitur impense  
te diligere debemus, cum non solum liberalis, sed  
etiam ipsamet sis liberalitas. Hanc non solum  
amici sed etiam inimici tui testari debent, dum facis  
omni solem super bonos et malos, et pluis super  
iustos et iniustos, adeo ut non sit, qui se abscondat  
a calore liberalitatis tuae; aperis enim manum  
tuaam, et implet omne animal benedictione:

O benignissime Deus quid tibi retribuemus  
pro omnibus bonis tuis, quae e caelis sanctis tuis  
in nos non solum ea non postulantes sed non  
nunquam nihil curantes largiter effundis? Certe  
nihil a nobis exigis nisi ut tibi eam vicem repen-  
damus, quam viro liberali exhibere consuevimus,  
ut sicut illum in magno pretio habemus, eumq;  
amore prosequimur, ita et te super omnia exal-  
temus ac impense diligamus. Exaltabo te igitur  
Domine Deus, et amabo te, quantum dignus es  
exaltatione et amore. Ah piissime Deus par-  
ce mihi, quod hactenus in tuis laudibus et amoris  
erga te affectibus tam paucus extiterim. Vinam

Roman. 3.

Math. 5.

psal. 118.

psal. 144.



imposterum, o amator hominum! terra cordis mei  
 tot largitatis tuae imbribus irrigata uberem sanctae  
 dilectionis fructum ferat, et mente ac opere te in  
 aeternum benedicat!

- Rom. 9. **2.** O opulentissime Deus non solum corporalia, sed  
 etiam spiritualia dona, quibus te super ama-  
 bile bonum apprehendere valeamus, nobis largiter  
 impertiris; Et quod mirum est, saepe fit, ut ubi abunde  
 David delictum superabundet et gratia; adeo ut nec  
 torrentes iniquitatum nostrarum tuam possint  
 obruere liberalitatem. Multitudine itaque pecca-  
 torum ac iniquitatum nostrarum a largitate tua  
 non retraheris, quin potius miseris nostris dactus  
 nos donis tuis ad te revocare satagis; tua namque  
 gratia nos expugnas, et corda nostra licet lapidea con-  
 teris, et ad lacrymas compunctionis resolvit. Quod  
 si quosdam invenias se ac sua tibi liberaliter im-  
 pendentem. O quam profuse te tuasque bona in eos  
 confers! fieri enim nequit, ut tua liberalitas, quae  
 limitem nescit, ab humana, quae omnibus modis  
 limitata est, vincatur. Longe igitur plura bona  
 indigentia nostra largiris, quam a nobis recipere  
 se possit. Dabo ergo tibi o Deus, me et omnia  
 mea, et quidquid a me exquiris, observationem  
 nempe praecceptorum, custodiam consiliorum, obe-  
 dientiam inspirationum; certus enim sum, quia  
 per hanc meam angustam liberalitatem tuam pro-  
 fusam mercaturus sum largitatem.
- 3.** Verum o Domine Deus, quamquam in om-  
 nibus tuam liberalitatem ac beneficentiam pa-  
 tentes manifestes, nunquam tamen eam abundan-  
 tius declaras, quam in opere Redemptionis nos-  
 trae. Num enim maius donum ac proinde major  
 liberalitas unquam excogitari potest, quam ut tu  
 Deus unigenitum filium tuum ad nostram aeternam



salutem nobis tribueres; sic enim Deus dilexit mundū  
 ait discipulus <sup>dilectus</sup> tuus, ut filium suum unigenitum da-  
 ret, ut omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat  
 vitam aeternam, Hic autem filius tuus super omnia  
 benedictus unico verbo, aut suspirio nos a potestate  
 Daemonis liberare, ac salutem nostram operari potuis-  
 set; nihilominus ut de tua immensa erga nos li-  
 beralitate convinceremur, voluisti, ad redemptionem  
 nostram tanto nobiliorem ac pretiosiore reddendam, ut  
 innumeros dolores, sudores, et angores, imo mortem  
 crudelissimam subiret, et ita vitam suam cum omni-  
 moda pretiosissimi sanguinis sui effusione profun-  
 deret. O liberalitas ineffabilis ac stupenda nimis!  
 O mi Deus si pro hac liberalitate tua prorsus  
 immensā, per quam ingentes gratiarum ac meritorum  
 thesauros acquisivi, tibi fideliter non obsequor, nec  
 te ex toto corde meo ac omnibus viribus meis di-  
 ligo, mereor sane, ut ad puniendam meam ingrati-  
 dinem novus pro me condatus infernus.

Joan. 3.

Caput XXII.  
 Aspiraciones ad Deum  
 ob eius affabilitatem.

Domine Deus, dum affabilitatem tuam considero,  
 totus ego obstupesco, quid enim est homo, quod memor-  
 es eius, aut filius hominis quoniam visitas eum, et  
 cum ipso tanquam cum amico conversari dignaris? Non-  
 ne homo pulvis cinis et terra, tu vero Rex tremenda  
 maiestatis, et summa gloria Dominus, et tamen delicia  
 tua sunt esse cum filiis hominum, tibiq; veluti pro  
 magna voluptate reputas descendere in hortum mentis  
 nostrae, ac intime desideras, ut eius ostium tibi aperi-  
 mus, unde pulsas ad cor devota anima, et ais: aperi  
 mihi soror mea: O ineffabilis affabilitas tua  
 mi amantissime Deus; quid est enim anima fidelis  
 ut ad cor eius venire gestias, et ut tibi ostium, citius

ps. 8.

Sap. 5.

cant. 5.